Notum sit cunctis presentibus quam futuris quod Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castelle et Toleti uidi priuilegium illud quod Rex Aldefonsus felicis memorie pater meus olim Toletanis ciuibus fecerat, in quo continebatur quod quicumque moraretur in Toleto ibidem uicinitatem et miliciam faciendo secundum forum Toleti esset excusatus et absolutus ab omni alio pecto et facendera in toto regno suo. Ego itaque predictus Rex A. uolens predecessoris mei facta rata esse et firma, una cum uxore mea Alienor Regina et cum filio meo Ferrando facio cartam libertatis et absolucionis uobis toti concilio Toletano presenti et futuro, mandans ac firmiter precipiens quod quicumque in Toleto morati fuerint ibidemque uicinitatem et miliciam secundum forum Toleti fecerint, de hereditatibus suis quas in toto regno meo habuerint nullam faciant pectam uel facenderam seu pectum aliquod. Set per uicinitatem et facenderam atque miliciam Toleti sint excusati in omnibus aliis uillis regni mei. Et hec mee donacionis libertatis et absolucionis pagina rata stabilis et inconcussa omni tempore perseueret. Siquis uero hanc cartam infringere uel diminuere presumpserit, iram Dei omnipotentis plenarie incurrat et cum Iuda domini proditore suppliciis infernalibus subiaceat, et insuper Regie parti mille aureos in cauto persoluat et dampnum uobis super hoc illatum duplicatum restituat. Facta carta apud Toletum Era M. CC. XL. vigilia natalis domini. Et ego Rex A. regnans in Toleto hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo.

Martinus Toletane sedis archiepiscopus hispaniarum primas confirmat.

Ardericus Palentinus episcopus confirmat.		Rodericus Diaz confirmat.	
Didacus Oxomensis episcopus confirmat.		Lupus Sancij confirmat.	
Rodericus Segontinus episcopus confirmat.		Gomicius Petri confirmat.	
Iulianus Conchensis episcopus confirmat.		Aluarus Nunij confirmat.	
Gundissaluus Secobiensis episcopus confirmat.		Guillelmus Gonzaluj confirmat.	
Jacobus Abulensis episcopus confirmat.		Munio Sancij confirmat.	
Johannes Calagurritanus episcopus confirmat.		Egidius Garsie confirmat.	
Ferrandus Burgensis electus confirmat.		Gutierrius Diaz merinus Regis in Castella confirmat.	

Petrus domni Regis notarius, Didaco Garsie existente Cancellario. S C R I P S I T.